Quelle: http://manuscripta.at/?ID=40463
Copyright: Melk, Benediktinerstift



De comestione

Sit timor in mensa / benedicto lectio sancta
Sermo bonus / vultus hilaris / pars det egenis
Dum comedunt fratres / comedas et tu reverenter
Pro quibus hec dantur / recolas orando libenter
Gustando tacitus / sis sobrius et moderatus
Non ledas mentem / studeas compescere ventre
Lesio fit menti / nisi sit custodia ventri
Non circumspicias / alios dum supersedes escas
Corpore pascaris / et cordis pace fruaris
Non aliter comedas / nisi certa semper in hora
Qua comedunt alii / nec queras tunc meliora
Et finito quoque cibo / referat gratia Christo
Mandes in mensa / Christi crucianima pensa
In cruce fellitum / pro te gustavit acetum
Hunc reminiscaris / tacitus nec verba loquaris
Glorifica Ihesum / quotiens accedis ad esum
Ihesum laudabis / ad mensam cum properabis
Regem cuctorum / laudans in fine ciborum

Pascas animam plus quam corpus

Et pascas animam / satagendo perfice causam
Si corpus fragile / fetens miserabile turpe
Debile pestiferum / moribundum funditus egrum
Cum quasi sit scenum / marcens putredine plenum
Undique probrosum / fetidum vas / vas maculosum
Qui cito transit / moriens cras forte peribit
Sic pascis satias / et nutris vermibus escas
Cur animam miseram / vacuam non pascis egenam
Que sua vult iura / cum numquam sit moritura
In cruce quere cibos / qui Christi pascunt amicos
Et cibus illorum / preservet corda virorum
Qui crucis in ligno / confidunt corde benigno